

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.  
**0928**

**0926**

**0932**

**0922**

**0937**

**0917**

**0977**

**0877**

**1027**

**0827**

**0427**

**Ende**

**Anfang**

**355**

Dicebatur autem civitas litterarum eo, quod primo litterae  
Chanaaneorum in ea fuerunt inventae, vel quia antiqui gi-  
gantes aliquod studium litterarum ibi habebant, vel quia, ut  
magister in Spec. Histor. dicit, cives ejus scriptores erant,  
vel quia, ut Hebrei dicunt, Othaniel, qui eam cepit, aliqua  
legis capitula, quae obfuscata erant et deleta, tempore luctus  
Moysis ibidem reparavit. De hac civitate dicit Jeronymus  
de distantiis locorum: Dabir in tribu Juda, quae vocatur  
civitas litterarum, hanc praeoccupavit Othaniel, frater Caleph,  
interfectis ex ea gigantibus, et pro mercede Achsam, filiam  
Caleph, uxorem accepit. Fuit autem et ipsa Dabir sacerdoti-  
bus separata. Ibi videtur adhuc terra, quae inferius et su-  
perius aquis irrigatur, quam dedit Caleph Achsae suae,  
sibi conquerenti, quod terram arentem accepisset, ut habetur  
Judicum 1. cap.

Ulterius a Kariacepher sive a Dabir recessimus et  
per vallem Ebron descendimus, quae indubie fertilissima es-  
set, si cultivaretur, et ab utraque parte antiquorum hortorum  
macerias adhuc retinet, et in arbustis vidimus diversas feras  
comestibiles et aves perdices et phasontos. Cumque per  
viam satis longam descendissemus, ad locum venimus, ubi  
ab aquilone alia vallis contra occidentem tendit, quod est  
vallis Neel Escol, id est, vallis botri, fertilissima, de qua  
exploratores missi a Moyse ad considerandum terram tulerunt  
botrum magnum, quem duo viri vecte portabant, et malogra-  
nata collegerunt et alias fructus et populo Israel trans Jor-  
danem in desertum portaverunt, prout habetur Num. 13. Hac  
valle dimissa per vallem Ebron descensum continuavimus  
via illa, per quam Joseph missus a Jacob patre suo de valle  
Ebron in Sichem ad quaerendum fratres suos, ut ha-  
betur Genes. 37. Eadem etiam via descenderunt fratres  
Joseph in Aegyptum ad emendum frumenta, Genes. 42. In  
silvis ejusdem vallis, quia plenae sunt silvestribus feris, cre-  
ditur Esau venationi vacasse, quando eum misit Isaac pater  
suus, ut offerret de venatione et pulmentum ficeret, quate-  
nus benedictionem paternam accipere mereretur, Genes. 27.  
Multis ergo horis continue descendimus ad latus dextrum  
vallis, quia profunda erat et arcta et in imo aspera, petrosa

23\*

